SILUIO ANTONIANO CLEMENTIS 8. PONT. MAX. CUBICULI PRAEFECTO ALDUS, RELIQUUM...

Digitized by Google

346.E.10 3 9

SILVIO ANTONIANO CLEMENTIS . IIX. PONT . MAX. CVBICVLI . PRAEFECTO

BIBLIOTECA NAZ. ROMA

Aldus, reliquum Familiae Manuciae, S. D.

EGO uero, optime Silui, quid aliquando mihi, praeteriens, de Summi Pontificis uoluntate dixeris, optime memini: posse me ab Eius beneficentia quietem studijs meis impetrare. Id ut sperarem, atque adeo ut sperem, uel nota mihi Pontificis mens, uel tua benignitas, pollicetur. Facitq. haec recordatio, ut, opportunitatem istam nactus, amoris, officijq. tui, agam tecum de statu meo, quantum res ipsa postulat, et quantum mihi per humanitatem tuam licet; per quam licere uideo plurimum. Mihi quidem si ea contigerint, quae cupio; ad summam in terris felicitatem nihil deerit. sin secus accidat; suum tamen humanitas tua fructum non amittet. Ego enim, quod uolueris, conatusq. sis, in tua laude ponam; quod non perfeceris, ad meam fortasse culpam, uel, ut aequius de me ipso sentiam, ad meam certe (fortunam dicerem, si liceret; liceat autem, donec alio commodiore uocabulo uti possim) transferam. nam & praeclarus artifex, perfectam animo speciem intuens, cum ipse nihil in arte peccet, opus tamen imperfectum, subiectae materiae uitio, relinquit. Nec tamen is ego sum, cuius animum immoderata quaedam opum, honorum ue, cupiditas angat. habeo magnam gratiam naturae meae, quae me ad hanc insaniam numquam impulit, maiorem etiam ijs uiris, quorum praeceptis eruditus, ad hanc diem ita uixi, itaq. posthac, ut spero, uiuam, ut neque summa cupiam, neque summa adeptis inuideam. Sed, quia uirtus, licet a se ipsa pendeat, externa tamen quaedam non recusat: propterea mediocritatem earum rerum, quae Errantis

Digitized by Google

deae bona quidam uocant, numquam animo prorsus contempsi, elaboraui etiam ut consequerer: & plane me consecutum credidi, cum Romam, ante quadriennium, Sixto V. Pont. Max. firma statione, ueni. quis enim aliter crederet, cum hic uigere dicerentur, ac semper antea uiguissent, artes illae, quibus ab ineunte aetate meum studium dederam; cumq. ipsum nomen Vrbis Romae nihil tenue, nihil angustum, sed magna, & ampla, polliceri omnia uideretur? Hoc loco non faciam, ut aut de meis ipse meritis detraham: quod certe nō debeo: nihil enim umquam, sciens, in meo munere commisi, quo iure optimo reprehendi possim: aut alios carpam: quod ab institutis meis longissime distat. tantum dicam, & id ipsum inuitus: nescio quo modo mihi fontes aruisse, qui profluere solebant; benignitatem, quae antea patebat, ita clausam in me esse, non modo ut nihil eiusmodi, in quo uel copia, uel splendor, inesset, sed ne mediocritas quidem illa, quae repellit incommoda, quae honestatem, ex parte saltem aliqua, tuetur, mihi adhuc obtigerit. Ac uide tamen aequitatem animi mei. rei domesticae iacturam, quaecūque est, (maxima autem est, cum centesimae usurae uix, aut ne uix quidem, ullo modo, sufficiam; quam, ut Romam me, cum Bibliotheca mea, cum thesauro inquam meo, conferrem, subire fuit necesse) hanc igitur facile fero, libenter dissimulo, do operam ut obliuiscar. quod antiquam colere frugalitatem, quod illam paruo contentam, omnium laudandarum artium parentem, altricemque, disciplinam retinere cogar, non irascor. At multa desunt. Ego, deesse mihi quidquam, nego; abesse multa, confiteor. quae tamen ipsa, nisi fallor, eiusmodi sunt, ut, si large suppetant, nihilo fiam melior; si absint penitus, aut si minima sint, sicuti sunt, nihilo deterior. Ergo, quod ad hanc iacturam attinet, tranquillo satis animo sum: illa me dies noctesq. uexat, illa mihi penitus insidet, haeretque, cura, quod, si quem studia mea fructum ferre, si quid posteris industria mea prodesse potuit, id perijsse totum, ac perire quotidie magis, intelligo. Haec sunt mea detrimenta, Antoniane: atque utinam mea tantum essent: ferrem facilius, et quoquo modo quasi fouerem, ac mollirem, dolores meos: nunc, quod publico tam diu commodo defuerim, quod iacere studia mea; quod ingenium languere, sim passus; quod denique, fundamentis adolescentiae non male iactis, aetas firma exspectationi non respon-

respondeat, id cum ad mentem refero, & cum, quantum facinus admiserim, cogito, paene totus ipse mihi displiceo; &, quamquam culpa uacem, qui multa, quae egerim, coactus egerim, & certo sciam, (Deum summum ex animo testor) inconstantiae crimen merito mihi tribui ab ijs non posse, qui intimae uitae meae abditos recessus, reconditaq. mala, prorsus norunt, me tamen plane culpa non libero, sed interdum, quasi communis caussae desertorem, dolore uictus, accuso. Alijs alia cara sunt. non eodem sensu, non eodem omnes ingenio natura finxit. ego, quarum rerum illecebris capiuntur multi, ita plerasque non amo, ut auerser penitus, ac fugiam. litteris pascor: his uoluptatem nullam praefero, ac ne confero quidem: harum consuetudine nihil suauius experior, nihil dulcius. et, quemadmodum si Solem e mundo Deus auferat, statim in hoc Orbis terrae communi domicilio summus horror, summa sequatur incommoditas; sic, adempto mihi litterarum usu, plena tenebris omnia, plena molestijs, otium iniucundum, negotium perdifficile uidetur. O turpem notam temporum nostrorum. teneri enim iam non possum, rei permotus indignitate, quin exclamem. Veteres illi, qui tot nobis ingenij sui monumenta reliquerunt, scilicet, cum illa, quae nunc admiramur, in caelumq. tollimus, litteris mandabant, ita rei domesticae premebantur angustijs, ut mentem eorum aut grauissimae annonae difficultas, aut administratio familiaris, aut centesima omnium grauissima usura, (quae mihi nunc omnia molestissima sunt) ne grauiora persequar, ab egregijs cogitationibus auerteret. opibus abundabant, quantas in priuata domo perquam raro cernimus. greges habebant seruorum; quorum alij alias artes, multi saepe litteras, egregie callerent. quibus adiumentis, quis miretur eos illa praestitisse, quae cum hodie imitentur multi, assequi tamen licet nemini? Alia nunc nostra ratio est. incumbentibus enim ad praeclara litterarum studia qui seruiant, operamq. nauent, paucissimos esse, constat; mihi quidem, ut uno saepius, quam duobus, uterer, ad hanc diem, homini prope quinquagenario, contigit. Quare, si a primis annis, illustri ductus Aui, Parentisq. exemplo, alienum a uulgi erroribus ingressus iter sum; si ad communem utilitatem omnes animi mei partes, omnemq. mentis aciem, assidue pro uiribus intendo; si, ob id, uel ipsam ualetudinem, qua

nihil homini carius, despicio; si ad magnifica adspiro; non indignus profecto mihi uideor esse, qui ex domesticis aliquando difficultatibus, Summi Pontificis beneficentia, tuis officijs, meis aut meritis, aut saltem precibus, emergam. Nihil definitum nomino. quaecumque a Summo proficiscantur Pontifice, maxima minima sint, aeque grata, & periucunda, fore, tibi persuade. nam & ipsum decus omnibus emolumentis antepono: decus autem in Maximi Principis beneuolentia maximum iudico: et animus meus is est, qui nec uitio cupiditatis, nec morbo laboret auaritiae; sed ita ratione primum, deinde etiam consuetudine, institutus est, ut infra modum consistat libentius, quam supra modum efferatur. Tu is certe, (lubet enim hoc augurari) tu is certe eris, qui mihi me ipsum, longo interuallo, restitues; qui has aliquando tenebras tuo lumine expelles; cuius munere excolentur, & florere rursus incipient, studia mea. Huc igitur confer, obsecro, opes tuas, maximas; ingenij, prudentiae, auctoritatis. digna prorsus tuis officijs, digna tuo patrocinio, caussa est. nam, si pro commodis agitur hominis tui studiosissimi; cur grauis, aut laboriosa, uideatur? si pro litterarum dignitate; cur humilis, aut obscura? si uero apud Pontificem sapientissimum, uerae, solidaeq. gloriae amantem; cur difficilis, aut dubia? Merces autem recte factorum nulla praestantior, aut uberior, quam ut usuram uitae quam breuissimam aeterna nominis memoria compenset; posterisq. tradita litterarum beneficio pulcherrima uirtutis effigies, amorem conciliet, laudandi uoluntatem commoueat, imitandi studium excitet. Praeclarum ducitur, quamplurimis imperare mortalibus, gentes, nationesq. subigere, dare leges, iura praescribere. haec, magna uidentur, & expetenda in primis: sed haec ipsa saepe motu temporum labefactantur, saepe ui hominum conuelluntur, saepe ad alienam potestatem transferuntur. Vrbes, & opida, intereunt: uestigia uix apparent: nomina simul interire, & cum adspectu memoriam quoque tolli, scriptorum uirtus, & industria, non est passa. Decet igitur, cum tu Pontificem uehemēter obserues, cum illius gloriae maxime seruias, id curare te in primis, quod & maximum est obseruantiae argumentum, & ad Eius gloriam maxime pertinet. Bonis enim uiris, quorum excludi numero me non arbitror, et ita doctrinarum in studio uersantibus, non ut sibi tantum uiuant, priuata de-

lectatione

lectatione contenti, sed ut ingenij monumenta relinquere, & posteritati patere suam industriam, uelint; quae mihi semper studiorum ratio probata uehementer est; his tu si otium, ea, qua uales apud Pontificem, gratia, conficies: uide, quot bona consequantur: ipsum Pontificem ornabis immortali gloria: probitati, & uirtuti, amissam prope dignitatem restitues: frueris tu quoque magna laude: quamquam te quidem hoc spectare non oportet: ad eam enim laudem, quam adeptus iam es, propemodum accedere nihil potest: sed tamen frueris eorum amore, & obseruantia, quos tibi tua merita, tua benignitas adiunxerit. Equidem, si hoc per te assequar, ut ad aliquam, si non tranquillitatem, tranquillitatis saltem speciem, perueniam, &, quod reliquum uitae contigerit, in optato litterarum portu, honestis laboribus, degam; nulla res erit tanta, quam non & me tibi debere confitear, et libenter tua caussa suscipiam: istam quidem uirtutem, quae me a molestissima uita ad suauissimam quietem, et aptissima naturae meae studia, traduxerit, feram in oculis assidue, colam animo semper, fortasse etiam futuris gentibus ignotam esse non sinam. Vale.

Kal. Sept. CIↃ IↃ XCII.

Digitized by Google